36015/P

530510

J. J.

DISSERTATIO INAUGURALIS

SITIM PERLUSTRANS,

QUAM,

DIVINA ADJUVANTE GRATIA,

EX

DECRETO ET AUTHORITATE

Gratioſiſſimæ Facultatis Medicæ

Pro

SUMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

DOCTORALIBUS RITE CAPESSENDIS

SOLENNI Philiatrorum

Examini

Ad diem 16. Octobr. M DCC XXII.

h. l. c.

ſubjiciet

CAROLUS FERDINANDUS CASPARUS MAYER,

Bihlenſis Marchicus.

ARGENTORATI,

TYPIS JOHANNIS HENRICI HEITZII.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

INCLYTI

CIRCULI SVEVICI

PRINCIPIBUS

ET

STATIBUS

DOMINIS, DOMINIS MEIS GRATIOSISSIMIS ET GRATIOSIS

Tyrocinium hocce qualecunque humillima mente

D. D. D.

CAROLVS FERDINANDVS CASPARVS MAYER.

DOMINI, DOMINI GRATIOSISSIMI ATQVE GRATIOSI.

*SUb umbone & au-
ſpiciis Veſtris in
lucemprodire au-*

dent tenues iſtæ pagellæ Inaugurales, Vobisque ſacræ eſſe cupiunt; ſuæ equidem vilitatis bene gnaræ interim eo confidentius CELSISSIMO VESTRO CONSPECTUI *ſe ſiſtentes, quo magis ipſarum Author de ſumma* VESTRA *Clementia Gratia atque Benignitate, per paternum imprimis exemplum, eſt convictus. Per viginti quippe & duorum annorum ſpatium, per quod Patri meo licuit eſſe tam felici*

lici , ut tanquam Proto-Chirurgus copiarum Veſtrarum tam pedeſtrium quam equeſtrium curam gereret, omnium INCLYTI CIRCULI SUEVICI MEMBRORUM *gratiam atque favorem ſingularem abundantiſſime expertus eſt. Quapropter & mihi fores ad tantam felicitatem perveniendi haud præcluſas eſſe ſperans, ſubmiſſo animi cultu hoc humillimæ devotionis ſpecimen* VOBIS *offero. Accipite,*

quæ

quæſo, DOMINI, DOMINI, GRATIOSISSIMI ATQUE GRATIOSI *ſerena fronte exiguum ingenii mei fœtum, eundemque ſummo* VESTRO *dignemini Patrocinio. Quo de etiam cum nullus dubitem, à* VOBIS *ulterius ſubmiſſiſſimis efflagito precibus gratiæ atque favoris* VESTRI, *tam luculenter in Parentem collati, rivos in humillimum* VESTRUM

clien-

Clientem derivare haud gravemini, qui inter futuræ meæ felicitatis omina illud potiſſimum ero repoſiturus, ſi ſub Gratioſiſſimis atque Gratioſis auſpiciis VESTRIS *ut ſubdito vitam ducere, tenuibusque meis, quos in Arte Medica feci, profectibus ſubditis Veſtris inſervire licebit. Mearum interim*

ſem-

ſemper erit partium ardentiſſimas pro incolumitate atque proſperitate INCLYTI CIRCULI *ejusque* MEMBRIS *ad Dominum Exercituum fundere preces. Servet* TE INCLYTUM CIRCULUM *ad finem usque ſeculi perennantem florentemque Divina Majeſtas. Servet &* VOS *ſum-*

mum

mum Numen, INCLYTUM CIRCULUM COMPONENTES PRINCIPES ET STATVS, DOMINI GRATIOSISSSIMI ATQVE GRATIOSI *omni bonorum genere cumulatiſſimos*, VESTRAMQVE *famam atque fortunam non niſi cum Mundi diebus finire jubeat: Ita vovet Veſter*

INCLYTI CIRCULI SUEVICI PRINCIPES AC STATUS

DOMINI, DOMINI GRATIOSISSIMI ATQUE GRATIOSI

devotiſſimus atque humillimus
cliens & ſubditus

CAROLUS FERDINANDUS
CASPARUS MAYER.

Proœmium.

MAchinam humanam quam maxime fragilem & caducam eſſe, non opus eſt, ut pluribus demonſtretur argumentis, modo ejus conſiderentur principia, facile apparet, illam ultra breviſſimum temporis ſpatium non eſſe durabilem, niſi quotidie eædem particulæ continuo abscedentes de novo reſtaurarentur. Hinc benigniſſimus Creator fragili huic corpori quosdam implantavit quaſi inſtinctus, quibus & ejus propagationi & conſervationi benigniſſime proſpexit; Ex his illi præprimis notabiles, qui in

Medicorum Scholis APPETITUS nomen ſortiti ſunt. Per appetitum autem non ſolum Homo ſed & quævis Animalia naturali plane impulſu ad conſervationem corporis ſui adiguntur, & quandoque non absque quadam ſenſatione moleſta provocantur ad liquidorum æque ac ſolidorum aſſumptionem, unde manifeſta appetitus diſtinctio in FAMEM atque SITIM, quæ poſterior mihi, quantum temporis anguſtia permiſit, loco ſpeciminis Inauguralis, explicanda paucis venit, quod, ut ſummus rerum Opifex felix fauſtumque eſſe jubeat, tu autem B. L. æqua bonaque mente ſuſcipias, enixe rogo.

* * * * * *
* * *

THES I.

UT igitur ab explicatione vocis initium faciam, exponendum primo loco eſt, quid per vocabulum SITIS, Germ. der Durſt/intelligatur; Dupliciter autem accipitur, proprie nimirum & improprie: proprie pro bibendi deſiderio ſumitur, uti in §. ſeq. ſub ejus Definitione fuſius explicabo. Improprie autem denotat ingentem & ardentem quaſi alicujus rei cupiditatem; quemadmodum enim æſtuante corpore ſitis oboritur, quæ potu exhibito extinquitur atque ſedatur, ita, *quando quis vehementius rem quandam appetit, ardere ejus cupiditate & ſitire eam dicitur*, qua tandem obtenta deſiderium expletur; ſic CICERO literas Græcas tam avide arripuit, quaſi diuturnam ſitim explere cupiens, uti ipſe loquitur: ſicuti quoque alio in loco dicit, nunquam expletur nec ſatiatur *cupiditatis ſitis*; ſic etiam dicitur *Sitis Argenti* apud Horat. L. I. ep. 18. *Quem tenet argenti ſitis.* Ita quoque Honorem, Voluptatem, Sanguinem ſitire dicimus, ſic Tamyris Scytarum Regina Cyri caput amputatum & vaſi ſanguine repleto immiſſum allocuta eſt: *Satia te ſanguine quem ſemper ſitiiſti*, cujusque inſatiabilis ſemper fuiſti.

 JUST.

JUST. L. I. c. 8. Porro *fontes ſitire* dicuntur, qui exhauſti & aquæ expertes ſunt: eodem quoque modo *ſolum & agri ſitiunt*, cum pluvia roreque deſtituti præ ſiccitate dehiſcunt. PLINIO *ſitiens annus* appellatur & ſolum ſiticuloſum. Tandem REGIUS PROPHETA in Pſalm 42. eadem ſimilitudine utitur, quando *animam ſuam Deum ſitire ſicut Cervus aquam frigidam* pronunciat & utinam loco illius ſymboli, quod plures in ore tenent, *Oſſa merum ſitiunt*, & ore & corde & rebus & verbis probarent iſtud alterum OSSA DEUM SITIUNT. Illius autem SITIS explicationem qua SALVATOR NOSTER in Cruce ſalutem noſtram tam ardentiſſime ſitivit, Theologis relinquo. Quod ſi nunc Græcum vocabulum conſideremus, quo ſitis vocatur τὸ δίψος & ἡ δίψα, videmus hic egregiam latere metaphoram, quippe quæ vocabula à δαίω uro & ἰπῶ noceo, lædo, derivantur, & ſic τὸ δίψος ſignificat ſitim ex ariditate corporis. Græcum verbum autem διψάω ſummo deſiderio vehementer & ardenter aliquid expeto ſignificat. Ab hac Græca radice non inepte denominationem traxit illud ſerpentis ſeu viperæ minoris genus Veteribus Dipſas appellatum, à cujus ictu vulnerati ardenti & intolerabili ſiti afficiebantur imo enecabantur, uti DIOSCORIDES. L. VI. c. 38. p. 470. & LUCANUS L. IX. v. 740. ſq. teſtantur, cujus affectus curam proponit CELSUS L. V. de Medic. c. 27. §. 7. In regno vegetabili ab hoc verbo Dipſacus Cardui ſpecies Fullonum dictus

aut

aut Labrum veneris, nomen ſortitus eſt, ſed per ἀντονομασίαν, uti loquuntur, quia concavo alarum ſ. foliorum ſinu ros aut imber continuo aſſervatur, vid. DIOSCORIDEM L. III. c. 11. p. 196. quo ad ſitis injurias abigendas utitur, confer. C. B. P. L. X. S. 6. p. 385.

Thes. II.

Non adeo magna in definitione ſitis apud multos occurrit differentia, ſiquidem communis eorum opinio eo coincidit, qua ſitim Appetitum frigidi & humidi eſſe definiunt. Sic FOLLINUS in Synopſ. Tuend. Sanit. p. m. 57. ſitim nil aliud eſſe aſſerit, quam Appetitum frigidi & humidi, ſeu Ventriculi æſtuationem in ore ſtomachi perceptam. Apud Joh. ARCULANUM Med. Veron. in Comm. ad L. IX. Rhaſ. Sitis eſt Appetitus frigidi & humidi, ſequens cauſas naturales efficientes, ſcilicet virtutis & caloris naturalis actionem, propter fines à Natura intentos, qui ſunt, 1. humidi & roridi reſtauratio, 2. Ciborum in ſtomacho melior commixtio & conſequenter melior digeſtio, 3. Sanguinis ad membra melior penetratio, & 4. madefactio in locis neceſſariis, ſicut in lingua, gutture, pulmonibus, juncturis & ſimilibus. Huic definitioni accedit eorum, qui ſitim per Appetitum explicant, quo animal ad convenientem liquorem ſeu potum conſequendum incitatur, faucium & œſophagi ſiccitatis tollendæ, ariditatisque præcavendæ gratia. Alii ſenſum per fauces

ab humore concitatiore ortum eſſe dicunt. Porro alii ſitim triſtem ſenſationem & vellicationem tunicæ nerveæ eſſe deſcribunt, ab intenſiori ſalſo inductam, ad individui conſervationem, potulentorum deſiderium in nobis excitantem. Alii denique defectum humoris ſalivalis ſitim eſſe contendunt. Plures quidem adhuc enumerari poſſent Autorum de ſiti definitiones, ſed hiſce recenſitis, quoniam fere reliquæ omnes hujus toni ſunt, contentus ſum.

Thes. III.

Sicuti autem non poſſum facere cum illis, qui ſitim unice defectum humoris aut humidi eſſe ſtatuunt, quamvis non negem quod, ubi humor ſalivalis neque quantitate neque qualitate peccat, nulla fere oboriatur ſitis, deficiente autem quodammodo aut alterato eodem, irritatione fibrarum partium huic ſcopo inſervientium excitetur, quæ nos ad aſſumendum potum non ſine aliquali moleſtia invitat: ita nec in totum illorum placet ſententia, qui in definitione ſua intenſam tantum ſalſedinem ſenſationem talem inducentem in ſcenam producunt: quibus annumerandi veniunt illi, qui cum ſua æſtuatione Ventriculi id peragi contendunt, aut humorem concitatiorem in ſuperius ventriculi orificium agentem accuſant. Optime autem SITIM ſequenti modo deſcribi poſſe arbitror; Quod ſit IMPULSUS NATURALIS AD ASSUMENDA POTULENTA SEU LIQUIDA AUT

UT

UT ALII VOLUNT HUMIDA, ORTUS A SENSATIONE QUODAMMODO MOLESTA TUNICÆ PRÆPRIMIS NERVEÆ ORIS INTERIORA INVESTIENTIS ET CUM ORIFICIO SUPERIORI VENTRICULI COMMUNICANTIS, AD HUMORES DEBITOS SUPPEDITANDOS ET VARIO MODO IN CORPORE EXHAUSTOS, ET DISSIPATOS RESTAURANDOS, NE ACTIONES INDE DEPENDENTES LÆDANTUR.

Thes. IV.

Ut autem aliquam deſcriptionis hujus reddam rationem, primo, quid per Impulſum ſeu *Inſtinctum naturalem* hoc loco intelligatur, diſquirendum erit: nihil autem aliud intelligi volo, quam *propenſionem quandam Naturæ, qua unumquodque in finem & uſum debitum etiam inſcie quandoque inſtigatur.* Notandum autem circa differentiam hujus Inſtinctus, quod Phyſici illum diſtinguant in Vniverſalem & particularem, ille eſt omnibus rebus naturalibus fere communis, hic autem hoc vel illud tantum reſpicit, uti noſter Animalia, eo magis autem particularis hîc eſt, cum tantummodo, ea quæ hominem reſpiciunt, pertractabo. Talis autem Impulſus non absque inſtrumentis peragitur, ſiquidem in hunc finem TVNICA quædam NERVEA conſtructa eſt, QVÆ OS, PALATVM ET FAVCES INVESTIT, ET PER OESO-

OESOPHAGVM DESCENDENS VENTRICVLO EST CONTINVA, quæ PRÆCIPVVM INSTRVMENTVM ORGANICVM, quo Anima ad potus appetentiam determinatur, apparet, uti VERHEYEN loqui amat. WHARTHONI ergo ſententiæ non ſubſcribo, qui humorem ad glandulas ſalivales per nervos hujus Tunicæ derivari aſſerit in Adenogr. c. 21. ubi dicit: *Credibile eſt è nervoſo genere (humorem talem) profundi, ſiquidem corpora, tum humidiora, tum ſicciora (modo hypochondriaca) ſalivam copioſius exſpuunt: illa, quod eorum nervi quoque ſuperflua humiditate madeſcant; hæc per conſenſum nauſeantis Ventriculi*, Melius ſe habent alia ejus de conſenſu oris & Ventriculi verba: *Idem quoque conſenſus ex eo promovetur, quod interior Ventriculi tunica, continuetur illi, quæ faucium & palati cavitatem occupat: Hinc irritato gutture, irritatur quoque Ventriculus; & vice verſa irritato Ventriculo, fibræ tunicæ oris una vellicantur; ut cernere eſt in vomiturientibus, quibus copioſa ſaliva ex ore profluit.*

THES. V.

Tranſeo nunc ad impulſus hujus finem, qui eſt liquidi aut juxta alios humidi in corpore ſumme neceſſaria reſtauratio. Humores quantæ in corpore noſtro præſtantiæ ſint vix explicari poteſt, cum omnes illæ egregiæ operationes id ſufficienter teſtentur. Primarium locum iisdem attribuere non dubitavit BERGERVS in Phyſiol. L. I. c. 22. dicens: *Sed aliam liquidarum partium, quæ iſtis (ſc. tubulis) continentur, rationem eſſe,*

eſſe, Divina Mens voluit, quando in continuo ſuorum minimorum motu, atque receſſu à ſe, conſtitutæ, ductus prædictarum partium eo artificio irrigant ac tranſeunt, ut eas ad motum pariter convenientem impellant & cieant, ab iisdem viciſſim impellantur, atque in impulſu iſthoc & motu mutuo, omne vitæ animalis momentum ponatur. Tam egregie ſe habent in corpore humores, quibus & HIPPOCRATIS elogium addere conſultum duxi, qui illos maximum pondus Nutritionis operi conferre pronunciavit, dum Lib. de Aliment. concludit. ὑγρασίη, τροφῆς ὄχημα, *humiditas alimentorum Vehiculum.* Hujusmodi ergo humidi reſtaurationem intendit Natura per ſitis affectum primario, cui accedit II. quod adjuvet meliorem ciborum commixtionem & inde dependentem bonam digeſtionem. III. Sitis principalis eſt cauſa, quo ſanguis nimia liquidi deperditione ſpiſſior factus, ab aſſumpto potulenti genere diluatur & fluxilitatem debitam acquirat, quo promptius ad loca deſtinata pervenire & per exilia capillaria vaſculorum orificia tranſire queat. IV. intenditur etiam madefactio partium in Oris cavitate, faucium & Oeſophagi: quamvis enim glandulæ officio huic deſtinatæ adſint, humorem tamen ſufficientem non præbent, & niſi glandularum humor per novam affuſionem redintegraretur, in continua verſaremur ſiti. Neque V. in totum negarem, ſitim etiam Loquelæ & Reſpirationis præcipuo Organo, nempe, pulmonibus in auxilium venire, certe experientia,

tum ex trito illo, Cantores amant humores, videmus humidi appetitum valde in illis excitari, quo obtento vox clara redit, uti Jac. BOCCATII Diſtichon Neronis ſonat:

Dulcia vina juvant modulantem
Carmina: Cantor
Non bene cantabit, ni bene potus erit.

Thes. VI.

Proximam ſitis Cauſam eſſe irritationem ſeu vellicationem| Tunicæ nerveæ ſupra notavi. Remota autem varia eſt, principalis in ſtatu naturali humidi in corpore defectus exiſtit, quamvis non in totum, ſaltem quoad partem, inprimis autem Cavitatis Oris & Oeſophagi ſiccitas. Humores autem vario modo exhalant, tempore v. gr. æſtivo, quo magis pori corporum aperti ſunt, eo citius humidum noſtrum evaporare poteſt, id quod etiam contingit in Balneo, duris laboribus, exercitationibus, itineribus urente Sole, & ubicunque ſudor movetur: imo Tranſpiratio inſenſibilis è corporibus humores exhauriret, ni potu reficerentur. Cæterum cibi ſaliti pleriſque excitant ſitim ob acrimoniam continuo vellicantem & irritantem. Alii etiam malæ digeſtionis cibi majori potus affuſione opus habere per ſitim docent. Inſuper

ſuper & omnes cibi ſolidi etiam laudabilis digeſtionis idem poſtulant, quoniam glandulæ ſufficientem humorem præbere nequeunt, quamvis autem præbeant, ipſæ tamen peracta operatione nova irrigatione indigent, unde quaſi in circulo perpetuo opus hoc verſatur, ut recipiant nimirum & rurſus effundant. Porro acria æque ac adſtringentia cauſæ ſitis pronunciandæ ſunt, illa quatenus nimia irritatione ſimul & ſemel partes à liquido ſuo enervant, hæc ob nimiam conſtrictionem effluxum coërcent. In ſtatu præter naturali plerumque ſalivæ viſciditas ejusdemque defectus accuſatur, qua de re infra adhuc videbo.

Thes. VII.

Tranſeo ad SUBJECTUM, ſiti autem ſubjiciuntur animantia & imprimis illa, quæ, uti loquuntur, pulmonem habent ſanguineum, quorſum præſertim homo refertur. Proſtant quidem hinc inde exempla, qui æque à potu ac à cibo per tempus aliquot ſe arcebant, unde de hac quæſtione diu in Phyſicorum & Medicorum Scholis diſceptatum fuit, an aliquis vere unquam ſine cibo & potu, & ſic ſine alimento vixerit aut vivere potuerit? ad quam quæſtionem reſpondet WELSCHIUS in Eph. N.C. D. I. A. III. obſ. 35. *Sibi plane perſuaſum eſſe, Inedias illas, quæ tot annorum prodigioſæ recenſentur, ad unam omnes omnino fictas & ementitas fuiſſe.* hocce præterea

ſuum aſſertum notabili firmat exemplo, cui ſententiæ multi quoque ſubſcribunt , quidquid etiam alii proferant de illis qui nunquam ſitiverunt neque biberunt. In eadem Dec. Eph. eodemque anno obſ. 173. alius reperitur caſus abſtinentiæ ab omni cibo & potu per 13. menſes. Ægra autem tandem in ſceleton quaſi mutata, omni humido ſenſim in corpore abſumpto, periit. Lentilius quoque in Miſc. Med. pr. raram de Adipnia notat hiſtoriam. I. 11. p. 528. de filiolo biennali cachectico, per. 16. hebdomadas ab omni generis potu abhorrente, pultibus tamen nutrito. Prope autem notandum, hos caſus fuiſſe plane extraordinarios, & quod iſtum puerum attinet non adeo miror ejus hiſtoriam, cum ejusmodi victus , qualis exhibitus fuit , genera, etiam humidi quid ſecum vehant , unde illud in corpore reſtitans quodammodo & quo ad partem conſervari potuerit. Quæ de animalibus quibusdam vulgo dicuntur , quæ non bibunt, imo quibus & potus lethalis eſt, cum mei fori proprie non ſint, de iis nihil nunc tangam.

Thes. VIII.

De ſede hujus affectus acturis primo eorum ſententia examinanda venit qui VENTRICULUM primarium & ſolum ſpeciale ſubjectum ſive ſedem agnoſcunt, imprimis ejus orificium ſuperius quod ſtomachus à Celſo à Græcis καρδία dicitur , quatenus nimirum copioſa vel im-

impetuoſa magis ſpirituum ſic dictorum Animalium, uti volunt, affluxu æſtuatio oritur, & ſic talis ſenſatio per gulam & Oeſophagum tranſit, ut in oris cavitate perſentiatur. Hoc aſſertum autem inde probare conati ſunt, quia ſitim ſola liquidorum in ore retentione non ſedari putabant, niſi ad ventriculum usque pervenerint. Aliis ſedes ſitis naturalis eſt in lingua excluſo ventriculo, quia lingua humida non oritur ſitis, nec etiam ſitis poteſt reſtingui, etiam toto ventriculo frigida repleto, dum Nitro ſaltem linguæ admoto ſiſtatur. Sed ambo peccare videntur, illi, quia humidorum ad ventriculum delapſum pro ſedanda ſiti, ſolum allegabant, non attendentes irrigationem viæ per quam tranſeunt; Hi vero quia non reſpiciunt ad alias partes in ore faucibusque ſitas à Nitro aſſumpto ita irritatas, ut humidum quoque plorent. Eorum potius ſequor opinionem, qui tunicam illam nerveam, jam aliquoties nominatam, tanquam Animæ inſtrumentum, ſedem ſitis & ſpeciale ejus ſubjectum agnoſcunt, cujus ſtructura etiam de ejus officio me reddit certiſſimum, quippe quæ tota quanta ex fibrillis nerveis conſtat. Cum autem nervorum officium ſit ſenſui ac motui inſervire, hinc ut & hæc tunica ſenſum & moleſtam titillationem excitet nullus dubito. Ventriculum vero etiam aliquid conferre facile concedo, quia Tunica hæc ab oris labiis per gulam & œſophagum expanſa cum illa ventriculi eadem eſt, uti autopſia ana-

tomica teſtatur; Accedit inſuper ipſius ventriculi tunica nervea, quam eodem modo irritari poſſe nemo negabit.

Thes. IX.

Communis ſitis differentia eſt, qua dividitur in NATURALM & PRÆTERNATURALEM. Dantur autem quidam qui naturalem negant, omnemque præternaturalem eſſe contendunt, variisque argumentis illud evincere conantur, juxta quorum probationes præter ſitim etiam famem morbum eſſe neceſſe eſſet, & ſic nemo unquam in ſtatu ſano verſaretur, niſi bene paſtus & bene potus, talesque exceſſus ad conſervandam bonam valetudinem maximum conferre ſymbolum dici poſſent, cum tamen experientia edoctis patet, quanta inde mala proveniant, ut in proverbium abierit, *Guloſi morboſi.* Quod PRÆTERNATURALEM concernit, illa à Practicis triplex eſt vel IMMINUTA, vel CORRUPTA, vel AUCTA. AUCTA ratione gradus differt, ubi ad ſummum pervenit faſtigium SITIS CLAMOSA audit; porro quod primo quaſi loco memorari debuiſſet, SITIS vel eſt MORBOSA vel SYMTOMATICA, illa quia per ſe ſubſiſtit & nullo alio morbo complicata eſt, uti & contingit in fame aucta, hæc ubi & aliis morbis tanquam ſymptoma graviſſimum & interdum morbum ſuperans conjungitur.

THES.

Thes. X.

Cum Naturæ intentio, uti ſupra dictum, ea ſit, ut per ſitim coacti corporibus noſtris novum reaffundamus humidum, videndum nunc eſt, quale illud humidum eſſe debeat, quodque ſitis (uti vocant) Objectum ſit: uno verbo eſt Potus, quem liquida & humida præbent, inprimis frigida. Jnſignis autem circa potus materiam occurrit differentia; præcipua autem eſt, qua diſtinguitur POTUS in ORDINARIUM & EXTRAORDINARIUM. Sub ordinarii potus genere ordinario comprehenditur Aqua, Vinum, Cereviſia, Acidulæ, Lac, ſucci arborum & ſimilia; ad extraordinarium autem referunt potum Thée, Caffé, Chocolatæ, Liquorum ſpirituoſorum, Emulſionum &c. qui vel tuendæ aut reſtaurandæ ſanitatis cauſa, aut etiam ex conſuetudine & voluptate &c. appetuntur. Notandum autem hic præprimis venit, quod Potum frigidum, non ſolum hominibus, ſed omnibus ferme reliquis animantibus brutis, bibendi quaſi innatum ſit. Illud enim non obſtat, quando puſiones ex matrum uberibus lac calidum ſugunt, nam ut hoc ad tempus fiat neceſſe eſt, donec calor magis expandatur & fibræ ventriculi ulterius firmentur. POTUS autem inprimis FRIGIDUS eſt SUBSTANTIA FLUIDA ET HUMIDA, NUNC INTENSIUS, NUNC REMISSIUS FRIGEFACTA, QUALIS VEL VALETU-

DI-

DINIS TUENDÆ VEL LIBIDINIS EXPLENDÆ CAUSA AB HOMINIBUS EXOPTATUR. Talem potum provida Natura omnium animalium corporibus aptiſſimum non modo, ſed & exoptatiſſimum copioſe profert cum AQUA, quam ut & reliqua potus genera pauciſſimis perluſtrabo.

THES XI.

Inſigne vero Divinæ bonitatis præbet ſpecimen AQUA, dum omnia & ſingula corpora plantæ & animalia cujusvis generis inde refocillentur, & tantum præſtat uſum aqua, ut hinc Veteres omnium rerum principium illam ſalutarint, vid. de hac re SENECÆ Quæſt. Nat. L. III. Quos & Neoterici ſecuti ſunt, uti BECCHERUS in Phyſ. ſubterr. l. c. 4. §. 1. dicens: *Etſi autem quamplurima corpora ſint, quæ externo intuitu & reſpectu prorſus inter ſe differentia exiſtunt, tamen omnium eorum origo, fons & principium in terra & aqua fundatur: ex his enim tanquam totius univerſi Principiis omnia corpora conſtare & producta eſſe in præcedentibus ad longum demonſtravimus*, & §. 2. *ſola Terra & Aqua, miſcibilia, omniumque miſcibilium principia ſunt.* Huic & accedit Joh. KUNCKEL in Laborat. Chym. aliique. Aqua autem ad noſtrum uſum apta, ſit dulcis fontana, quæ ex officina ſubterranea egreditur & per limum ſeu lutum tranſiens quaſi filtratur & tranſcolatur, fæculentiasque ſuas ſic deponit, quod contin-

contingit, cum per varios lapides, arenas & argillas depuratur, uti egregie, hoc deſcribit ſupra citatus BECCHERUS l. a. S. 2. c. 3. ubi memorat iſtam inſignem differentiam inter aquas duras & molles. Ut autem ad potum apta ſit Aqua, eligenda eſt pura, pellucida, limpida, omnis odoris & ſaporis, quivis etiam ſit, expers, hæc enim admodum ſalutaris deprehenditur. Reliquæ vero fluviatiles, pluviales, glaciales, ſtagnantes non æque cum prioribus concordant, quamvis interdum urgente neceſſitate iter facientes illis uti cogantur.

Thes. XII.

Alterum nobile ſitis objectum ſequitur, VINUM nimirum, quod, meo quidem judicio, melius deſcribi nequit, quam ſi NECTAR HOMINUM appellatur, in cujus elogium vix plura excogitari poſſunt, ac jam varii de illo Authores ſcripſerunt. Merito autem hic laudari meretur SACHSIUS, qui exactam de Vite ejusque fructu tradidit hiſtoriam, Ampelographiam dictam. Aquam quidem ſufficienter ſitim ſedare, inſuperque variis modis corporibus animalium ſumme proficuam & ſalutarem eſſe nemo eſt qui dubitat, quam autem multis encomiis Nectar hoc noſtrum àntecellit, ſiquidem ad ſanitatem ſimul magnum confert ſymbolum, non ſolum ad labefactatam erigendam & reſtituendam, ſed & præſentem

con-

conſervandam. Hic autem quam maxime valet tritum illud:

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines
Quos ultro citroque nequit conſiſtere rectum.

Nam

Sumere nec nimium Bacchi valet optimus uſus,
Nec minimum, hinc mœror provenit, inde furor.

Eleganti quoque carmine uſum & abuſum Vini indeque oriundas noxas & commoda deſcribit EOBANUS HESSUS in Tr. de tuenda bona valetudine, c. de Vinis, ad quod, cum nimis longum ſit, ut inſeratur, Lectorem remitto. Nec anguſtia paginarum permittit ut Vinorum natura eſſentia atque differentiæ hic enumerentur. Notandum autem eſt, Vinum non cuilibet accommodatum eſſe, ſed ad conſuetudinem omnino reſpectum eſſe habendum. Vinum bonæ notæ illud agnoſco, quod conforme ſit regulis Scholæ Salernitanæ, quando de boni Vini proprietatibus hæc leguntur verba.

Vina

Vina probantur odore, ſapore, nitore, colore.
Si bona vina cupis, quinque hæc laudantur in illis:
Fortia, Formoſa & Fragrantia, Frigida, Priſca.

Thes. XIII.

Tertium, inter primaria & ordinaria potulenta, potus genus eſt CEREVISIA quæ & Zythum vocatur, qua permulti Europæ gentes utuntur. Germanis ab antiquiſſimis temporibus præparandi modum cognitum fuiſſe ex TACITO conſtat, quando dicit: de Mor. Germ. *Potui humor ex hordeo aut frumento in quandam ſimilitudinem vini corruptus.* Aliis quoque gentibus in uſu fuiſſe ex DIOSCORIDE L. II. patet, qui & ejus incommoda tradit ſcribens: *Ex hordeo potus fit, qui ζῦθος nominatur: is urinam cit, renes & nervos tentat, membranis præſertim cerebrum veſtientibus officit, inflationem parit, vitioſum ſuccum creat, elephantiaſin gignit, qui eo potus genere perluitur, agilis & ad opus obeundum expeditus evadit.* Vera hæc quoad partem eſſe quotidiana teſtatur experientia, ſed in illis inprimis, qui huic potus generi non ſunt aſſueti, qui autem à pueritia eo uſi ſunt, in eos minus hanc vim habere videtur. Inprimis ex tribus partibus conſtat, frumento quodam,

ſive ſit hordeum, ſive avena, ſive etiam triticum, 2. ex liquore, qui eſt aqua, & 3. ex condimento quodam quod eſt Lupulus ſalictarius dictus. Ratione horum ingredientium etiam varie inter ſe differt Cereviſia, unde innumeræ ferme diverſitates in ſola Germania occurrunt, de quibusdam melioris notæ Cereviſiis polydiſtichon eſt:

Lipſia dat RASTRUM; KUCCUC Witteberga celebris;
Halla PUFF, & KEUTHUM Weſtphala terra coquit.
Hi tenues ſtomachum poterunt torquere liquores,
Mentis at exilium gignere vix poterunt.
Guſtrovii coquitur CNESNACUS fortior ille,
Ferri inſtar turbat, ferrea vel capita.

in ſelectu autem probe obſervandum, quod eligenda ſit clara bene defæcata, nec nimis recens, ſed nec etiam præ ſenio aceſcens, uti Schola Salernitana canit:

Non

Non acidum ſapiat Cerviſia, ſit be-
ne clara.
Ex granis ſit cocta bonis ac inve-
terata,
De qua potetur, ſtomachus non
inde gravetur.

Scripſit de Ceteviſia Tractatum Martinus SCHOCKIUS. Pertinet huc Potus, Lithuaniæ, Poloniæ, quarundamque aliarum circum jacentium regionum incolis familiaris, HYDROMEL dictus, qui ex Aqua & Melle paratur & ſic per debitam fermentationem vinoſum genium induit, unde facile vis inebriativa deduci poteſt.

Thes. XIV.

Non adeo quidem univerſale, uti hactenus recenſita, potus genus præbent ACIDULÆ; quippe quibus non adeo multi homines pro ordinario potu utuntur. Quamvis autem reſtinguendæ ſitis cauſa uſurpari poſſint, attamen alios ſalutares effectus in iis deprehendere licet, ſiquidem illis & præſervativa & curativa virtus magna ineſt; admodum enim ſunt penetrantes & ſic ſanguinis viſciditatem corrigunt, primarum viarum mucum incidunt & abſtergunt. Duplicis generis autem partibus potiſſimum conſtant, aquoſo nimirum vehiculo & parti-

culis mineralibus , quæ ultimæ etiam differentiæ Acidularum principales cauſæ ſunt. Uſus earum eſt polychreſtus , maxime autem proſunt in morbis chronicis, obſervante cum aliis quoque WEDELIO, unde in Am. M. M. p. 170. dicit: *Obſervatum ſæpius fuit, hypochondriacos hiſce ſolis curatos, fruſtra adhibitis aliis.* Egregium conſtituunt remedium diureticum & nephriticum , non obſtante caſu , quem refert idem WEDELIUS l. c. *Iſchuriam lethalem inde ortam fuiſſe, cum æger in paroxyſmo nephritico, medico inconſulto , bibiſſet Acidulas , unde ab ipſo illo momento urina ſubſtitit ad mortem usque per XI. dies.* Operantur autem vel per urinam , vel per ſudorem aut etiam per ſedes. Plura graviſſimorum morborum curationum exempla hic referri poſſent, ſi opus eſſet. Placet unicum adhuc adjungere locum ex cit. WEDELIO Am.M. M. p. 280. ubi egregie de Thermis & Acidulis ita ait : *Medico-Politico vero uſu non minus commendandæ ſunt Aquæ hæ Medicatæ , quatenus ſæpe immorigeri ægri in adhibendis medicamentis , in obſervanda diæta , hoc ipſo ſtratagemate rediguntur ad frugem quatenus diæta tenuis & ſtrictior , recepta univerſali, obſervantia locorum iſtorum , quo multi magni morbi curantur , his ipſis imperatur & impetratur ab ægris quatenus copioſo diluente , ſalia efferata temperantur; & educuntur è corpore, nauſeantibus alias ad ampullas & potiones largiores, ſæpe tamen neceſſarias ægris ; quatenus mutatio aëris, victus , loci , multum ad ſanitatem confert, unde in epilepſia & aliis morbis Chronicis*

ac

ac rebellibus hæc à Coo præcipiuntur. Scripſere de Acidulis WEDELIUS, Melchior SEBIZIUS aliique plures, qui conſuli poterunt.

Thes. XV.

Jure huc referri merentur Succi quarundam Arborum, quæ non ſolum copioſum ſuccum uſui Medico inſervientem, ſed & copioſiſſimum, ut fallendæ Siti inſervire poſſit, de ſe fundunt, hujusmodi Arboris meminit JONSTONUS in Dendrographia ſub titulo de Arboribus admirandis L. X. c. 4. p. 469. §. 6. dicens: *In una ex Inſulis Canariis, vulgo dicta Ferro, arborem aquam fundentem reperiri, tanta copia, ut Incolis, armentis & ad aquandum appellentibus, ſufficiat.* De hac arbore, ſucci colligendi modo & bonitate refert P. BERTIUS in Cosmogr. p. 628. In der Inſul Ferri iſt nicht allein kein ſüß Waſſer/ ſondern es wird auch eine überaus groſſe Hitze der Sonnen geſpühret/ darinnen beydes Menſchen und Vieh billich verſchmachten ſolt/ werden aber von GOtt wunderlich geträncket und erquickt. Denn es hat dieſe Inſel eine beſondere Art von Bäumen/ deren lange und ſchmahle Blätter das gantze Jahr über grünen/ mit einem immerwährendem Wölcklein werden umgeben/ und dermaſſen befeuchtet/ daß ſie davon ſtätig trieffen/ und ein lautere wohlgeſchmackte Feuchtigkeit von ſich geben/ welche von den Innwohnern in beſondere Gefäß wird gefaßt und zum Trincken und anderer Nothwendigkeit gebraucht. Notiſſima

ma apud Europæos quoque arbor eſt Betula, quæ verno tempore vulnerata copioſiſſimum eructat ſuccum, qui in Finnlandia, Suecia & quibusdam Germaniæ locis pro potu & quidem delicatiori a nobilibus in uſum trahi ſolet; de hoc ſucco in SCHROEDERI Pharm. Med. Chym. p. 540. ſequentia leguntur verba: *Succus hic in tanta copia profluit, ut exinde Cereviſiam conficiant. Imo audet aſſeverare HOFMANNUS intra 12. vel 14. dies extillare tantum, quod arbori cum ramis & radicibus præponderet.* Inſignem præterea habet uſum Medicum hic Succus Betulæ, quando pro integra, uti appellant, cura uſurpatur, laudatur enim ad pellendas arenulas & calculos renum & veſicæ, ad maculas cutis abſtergendas, ſcabiem ſanandam aliasque impuritates Maſſæ ſanguineæ tollendas. Notanda hic venit de hujus liquoris obſervatio Cl. WEDELII in Am. M. M. pag. 189. qua Diabeten a ſucco Betulæ ortam eſſe vidit. Fundit quoque Vitis ex amputatis palmitibus ſat copioſum ſuccum, qui tamen ad reſtinguendam Sitim non ſufficit, pro uſu medico autem commendatur externe & interne: interne ſumtus creditur habere vim comminuendi & pellendi calculum.

Thes. XVI.

Lac & tenellorum & multorum quoque adultorum hominum nutrimentum, non ſolum ipſum in tota ſua ſubſtantia, ſed & a parte caſeoſa oleo-

oleoſave liberatum , ſub ſeri nomine veniens, admodum proficuum præbet & potum & medicamentum. Non diffuſe explicabo quomodo lac nutriat , illud tantum notare licebit , quod Phthiſicis & Hecticis haud adeo contemnendum ſit auxilii genus, quamvis LVDOVICI in Pharm. p.m.514. non arrideat dicenti : *Vere Phthiſicos neque Lac humanum , nec æque horribile Lac Aſininum Caprillumve , quantum nos quidem vidimus , conſtanter juvit , aut citra majorem ſæpe putredinis intenſionem levavit.* Alias Lac acrimoniam mitigat , hinc & paregoricum eſt humectat & emollit. Varii uſus quoque ejusdem ſerum deprehenditur; verno præprimis tempore cum variæ intentionis herbis præparatur, maxime autem abſtergendi fine , ob penetrantiam & partium tenuitatem obſtructionibus medetur & Urinam pellit. Uti autem in Lactis uſu Lac humanum , vaccinum, caprillum & aſininum utplurimum uſurpatur , ita e vaccino & caprillo tantum ſerum ſeparatur. Ob analogiam huc referri debent Emulſiones , quæ ſunt liquidum quoddam vel medicamenti vel potus genus , Lac colore æmulans , ex ſeminibus ſeminumve nucleis mediante aqua aut liquore quodam appropriato paratum : imprimis autem ſumuntur ſem. frigida maj. Amygdalæ , ſem. Viol. &c. Harum Emulſionum magnus uſus eſt in naturali æque ac præter naturali ſtatu , inprimis autem in temperanda ſanguinis acrimonia, item pro ſcopo refrigerandi & paregorico. Ad has emulſiones

pertinet illud potus genus quod glacie frigefactum aſſumitur Gallis Orgeat dictum. Uſitatiſſimum porro potionis genus eſt julapium, quod ob gratum ſeporam unicuique palato adaptandum ad ſedandam ſitim tempore æſtivo ardente ſole gratiſſimum eſt, in ſtatu præternaturali autem pro potu ordinario ægris præſcribi ſolet: ingredientia ſunt ſyrupi & acidiuſculus quidam liquor ad gratam aciditatem; hæc miſcentur vel aquæ fontanæ, vel ptiſanæ aut etiam aquis deſtillatis : uſus utplurimum eſt ad fallendam ſitim & compeſcendam effervefcentiam ſanguinis refrigerandi fine. Tandem quoque variorum liquorum ſpirituoſorum mentio injicienda, quos enumerare nimis longum foret: notatu dignum tamen eſt de his, vel etiam de ſolo Spiritu Vini, quod unicum cochlear in ore detentum & hauſtum, ſitim ſyrio ardente a nimiis laboribus & itineribus accedentem, ad tempus mirifice ſedet, minusque noceat quam hauſtus iſti majores potulenti aquei.

Thes. XVII.

Cum autem hæc potiſſimum ejusmodi potus genera ſint, quæ frigide aſſumuntur, oritur hic notabilis quæſtio; An frigida ſeu Potus frigidus Sanitati non ſit noxius? Serio quidem admonet DIVINVS SENEX L. de Liquid. Uſ. *ne frigida aſſumantur, quia partes internæ illa tanquam minime conſulta reſpuunt*; ſic & Aphor. V. 17. &

17. & 18. mala quæ inde cauſantur recenſet. Inprimis autem memorabilis locus eſt GALENI Lib. de ſuccor. bonit. & vit. c. 13. circ. fin. *Frigida aqua impenſius, quamvis juvenum corporibus nullam protinus ſenſibilem alterationem affert, ſenſim tamen occúlteque creſcente vitio, cum ætas inclinaverit, viſcera, nervos, articulosque iis morbis vexat, qui vel difficulter admodum vel omnino tolli non poſſunt.* Hiſce adſtipulatur CELSUS L. I. de Medic. c. 3, dicens; *Illud noſſe oportet, quod ex labore ſudanti, frigida potio perniciosiſſima eſt, atque etiam itinere fatigatis inutilis. A balneo quoque venientibus Aſclepiades inutilem eam judicavit.* Hujus quoque ſeculi obſervationum Medicarum ſcriptores potum frigidum corpori humano ſumme noxium annotarunt; SCHENKIUS Obſ. L. III. 44. exempla adducit eorum, qui aquæ frigidæ potu extincti ſunt. WEDELIUS Eph. N. C. Cent. II. A. II. de puero octenni refert, quod ille menſe februario frigidam bibens mox febre ardente fuerit correptus, quarto die accedebant motus convulſivi, hæmorrhagia fortiſſima, Epilepſia exquiſita & ſeptimo mors: Porro LENTILIUS Miſc. P. I. pag. 61. & 67. à potu frigidæ in æſtu cardialgiam & Colicam ortam eſſe tradit. Sed quidquid etiam ſit, non deſunt tamen qui frigidum potum laudant & illum corpori noſtro non adeo noxium eſſe obſervationibus demonſtrant, imo qui antea perniciosiſſima mala frigido potu utentibus minabatur, nunc illum ſaluberrimum pronunciat

Lib. de diæta dicens : *Quos ſitis occupat, iis cibi & labores ſubtrahendi, & vinum tum aquoſum, tum quam maxime frigidum*, οἶνον ψυχρότατον, *bibendum*. Rurſus Libro de Intern. Aff. de Intemperie calida viſcerum agens dicit : *Vinum ex aqua gelidiſſima bibendum dato*. GALENUS quoque eodem ſupra cit. Lib. non ſolum frigidum potum in ſtatu ſano conducere dicit, ſed & cibos refrigeratos concedit, ne æſtu forti aut exercitatione quaſi inflammati in morbos calidos incidant. Legimus porro à frigido potu morbos curatos fuiſſe, uti D. PAULLINI in Obſ. Eph. N. C. inſertis refert de Tertiana frigida & largiori potu perfecte curata. Item in Eph. D. I. A. III. obſ. 211. de febris tertianæ admirandæ aqua frigida curatione. Et D. I. A. IV. & V. de Aqua frigida vomitus bilioſi & diarrhææ medela. Quibus adhuc plura addi poſſent. Quod ſi autem dicendum quod res eſt, haud difficulter cernere licebit, utrorumque ſententiam cum grano ſalis eſſe intelligendam & hiſtoriam affectuum probe perpendendam, & ſic facile locorum erit conciliatio, nam hoc in caſu quoque Morborum, Temperamenti, ætatis, temporis, conſuetudinis ratio eſt habenda.

Thes. XVIII.

Reſtant adhuc illa potus genera, quæ calide uſurpantur, quorum primaria ſunt Caffé, Thée & Chocolada, totius fere terrarum orbis in-

incolis uſitatiſſima, quæ quamvis laude ſua defraudanda non ſint, ob nimium tamen abuſum, plures jam inde noxas ortas eſſe conſtat: de noxa potus Caffée, vid. BAGLIVIUM in Oper. pag. 76. Quamvis & idem ibidem ſecretum nominet ad Cephalalgiam. Scripſit quoque de eorundem abuſu Medicus Gallus D. DUNCAN. Abuſus autem tantus eſt, ut promiſcue absque ulla habita ratione, neque ad affectum neque ad temperamentum, à quamplurimis quotidie ad menſuras ingurgitentur, quos Caffée- & Theephilos ſalſe ridet LENTILIUS in Eteodr. pag. 43. dicens: *Quantus in hoc potu luxus, quanta pompa, quantus apparatus? quod urceolo vili, quod patella figulina vulgari omne abſolvi poterat, ſuppellectilem ſibi per modernas ambages tantam repoſcit. quantam vix reliqua œconomia. Menſulæ Chinenſes, urcei Chinenſes, ſcutellæ Chinenſes, peculiaria cochleariola & quid non? Mirum quod ſemet non veſtitu prius Chinenſi induant, quam potum Thée ſorbere ſuſtinent, forſan in iſtis quoque Talaribus ſuavior erit potus & mage ſalutaris.* Quod autem attinet Potum Caffée ex fabis ejusdem nominis toſtis & pulveriſatis paratum cum aqua bulliente, verum eſt quod incidat humores viſcidos, inprimis autem phlegmaticis & qui debilioris ſunt ventriculi proſit. Hujus modi generis etiam paratur potus ex Hordeo mundo toſto. Potus Thée autem fit ex infuſione foliorum fruticis cujusdam Chinenſis & Japonenſis, qui Thée vocatur: vim variam illi

 ad-

adſcribunt,à multis ſubſtituitur Herba Veronicæ, quam miris modis extollit Joh FRANC. in Tr. Veronica Theezans; porro alii eodem modo infundunt herbas pectorales & incidentes, uti circumfertur ſic dictum Thée HELVETICUM vulgo Schweitzer-Thee. Hoc modo denique plura propinantur, vulneraria, antiplevritica &c. infuſa. Conſcripſit de Abuſu herbæ Thée Tr. Sim. PAULI. Chocolada autem eſt compoſitio ſicca cujus primarium ingrediens ſunt fructus Cacao & Vaniglia, variæ autem ejusdem compoſitionis traduntur deſcriptiones, decoquitur autem poſtea vel in aqua vel vino vel præprimis Lacte & adduntur ova cum vel ſine albumine. BAGLIVIUS l. a. hunc Potum laudat, quod *ad roborandam Maſſam S. ejusque vim, tonum, & ſuccum ejusdem nutritium deperditum reſtituendum, proſtratos a coitu ſpiritus reſtaurandos maxime juvet, eodem tamen tempore ſtomachum mire confortet, adeo ut Ambroſiæ nomen mereatur.*

Thes. XIX.

Ultimo loco nunc ſitis objectum ex ſolidis deſumptum conſiderandum venit; Experientia namque quotidiana ſufficienter teſtatur, quod ſitientibus, inprimis aut iter facientibus aut etiam laboribus agreſtibus defatigatis, ſæpiſſime cruſta panis, ſilex aut globulus plumbeus mire ad extinguendam ſitim in auxilium veniat,

cu-

cujus operationis ratio alia eſſe nequit , quam quia talia ſolida in ore circumvolutata pondere ſuo , partes inprimis autem glandulas adjacentes quodammodo premant , unde humorem ſuum ſalivalem,quo interior oris cavitas irrigatur, fundunt. Ad tempus autem & quidem non adeo longum effectus hic extenditur & ſi in ullo affectu revera in hoc caſu cura palliativa eſt,cum enim ad reſtaurandum humidum ſolida , quamvis & ex illis deſumantur, quæ alias laudabile præbent nutrimentum , non ſufficiant , neceſſario ſitiens demum marceſceret,ſi ex hiſce diutius auxilium & ſolamen ſibi unice promitteret , humido corporis nimium pereunte. Par ratio eſt cum fumo Tabaci, quo ſæpius, uti quidem ſibi perſuaſum habent, non ſolum ad famem ſed & ad ſitim profligandam utuntur : acrimonia quidem ſua glanduloſas partes irritat & vellicat, unde copioſus profluit humor ſed hoc non ſufficit. Eodem modo & omnia acria in ore detenta ut inprimis ſunt Maſticatoria pungendo agunt. Imprimis autem Nitrum & Nitroſa hic quoque memoranda ſunt juxta communem verſum

Salſa ſitim cauſant, ſedant Nitroſa citatam.

Multi ſcilicet ſunt , qui fruſtulum Nitri in ore tantum detentum ſitim ſedare dicunt, quia Nitrum acidæ eſt indolis, inſuperque corpus maxime frigidum, uti ex phænomeno patet, quan-

do

do Nitrum frigus & congelationem auget, unde etiam concludunt frigida ad potum & ſedandam ſitim aptiſſima eſſe; Sed, quamvis Nitri partes acidas non negem, aliter tamen illud agere quam irritando & vellicando vix mihi perſuadere poſſum.

Thes XX.

In Differentia SITIS generaliori occurrit illa qua dividitur in NATURALEM, de quo potiſſimum in hiſce theſibus agere animus fuit, & PRÆTERNATURALEM. Sunt autem, qui omnem ſitim præter Naturam eſſe contendunt; quod ſi autem illis fides habenda eſſet, neceſſario uti ſupra jam dictum etiam ſequeretur Famem ſimul inter morbos referri debere, & ſic nunquam in ſtatu ſano verſaremur, niſi bene paſti & poti, imo ad gulam usque ſaginati optima ſanitate gauderemus, cum tamen quotidie apparet quam fœcunda morborum mater repletio & ingurgitatio ſit; ſed forſan hi ejus indolis ſunt, qui, ſufficienti potu anticipantes ſitim, nunquam, aut quavis noctis hora vocati, ſitiunt. Differt autem & SITIS PRÆTERNATVRALIS; communis enim apud Practicos diſtinctio eſt in CORRVPTAM, IMMINVTAM ET AVCTAM, quarum ultima tantum mihi pro nunc explicare incumbit, quæ porro vel eſt IDIOPATHICA vel SYMPATHICA,

ambæ

ambæ autem rurſus ratione gradus inter ſe differunt , quarum extremus Practicis SITIS CLAMOSA audit. SITIS IDIOPATHICA eſt quæ cauſas agnoſcit in faucibus hærentes, SYMPATHICA autem cujus cauſæ in toto corpore reperiuntur ; rurſus alia eſt SITIS MORBOSA, quatenus per ſe ſubſiſtit & nullum alium primarium agnoſcit morbum aut alii morbo complicata eſt , quæ dividitur in CONTINUAM & INTERMITTENTEM, ſic ſæpius ſitis affligit tempore matutino ; alia eſt SYMPTOMATICA, quæ plurimos & vix non omnes concomitatur morbos.

Thes. XXI.

Cum autem de Siti aucta , uti dictum, ſolummodo hic quædam proferre conſtituerim, primo loco ejus definitionem tradere neceſſe eſt, quæ ferme cum illius Naturalis eadem eſt ; eſt autem NIMIUM DESIDERIUM ſeu APPETITUS NIMIUS AD LIQUIDORUM ASSUMPTIONEM , VEL A SALIVÆ DEFECTU ET VISCIDITATE , AUT SERO SANGUINIS NIMIUM INTENSIORIBUS SALINIS BILIOSIS ALIISQUE PARTIBVS IMPRÆGNATO AVT ETIAM NIMIO HVMIDI CORPOREI DEFECTU , INDVCTVS.

 Signis

Signis diagnoſticis non adeo opus eſt quippe ſatis ſe manifeſtat, quando ægri ordinaria potus portione non contenti & præter conſuetudinem quævis potus genera avide arripiunt & ingurgitant, uti ille, cujus meminit RIVERIUS Obſ. p. m. 296. tam intenſa ſiti affligebatur, ut crederent, illum eſſe unum ex bajulis illis Pariſienſibus, qui aquam per urbem circumferunt, dum clamaret die & nocte de l'eau: utplurimum autem ſimul concurrit major corporis calor. Huic ſiti Morbo inprimis ſubjecta ſunt corpora bilioſa, item temperamenta ſanguinea, quæque abutuntur potu generoſiori cibisque nimis aromatiſatis, unde non raro audiuntur querelæ de ſiti matutina, & ſic intermittente; Rarior autem eſt ſitis continua per ſe exiſtens, & ferme nunquam, quam tanquam ſymptoma obſervatur, recenſet autem caſum TIM. A GULDENKLEE Caſ. Med. L. III. caſ. 3. de Juvene, qui ſiti admodum vehementi & fere incompeſcibili noctes diesque vexabatur, absque febri, cum appetitu dejecto & nauſea, cordis & renum dolore, calore & conſumptione totius, linguæ aſperitate & nigredine, ſapore oris amaro, quandaque ſalſuginoſo, urina erat ſubrubra craſſa & alvus conſtipata. Curabatur humectantibus & refrigerantibus, ſero lactis caprilli, ſucco endiviæ & cichorei alterato, decocto hordei cum paſſulis min. aliisque intemperiem calidam viſcerum corrigentibus & humidum reſtaurantibus,

bus, non omiſſo Nitro in aqua violarum ſoluto, quod inſtar omnium fuit, ſed cum cautela, parcius ne ventriculus offenderetur: ad lubricandam autem alvum nihil convenientius Author ſe inveniſſe dicit quam ſuum vinum paſſulatum laxativum. Sed cum in hoc caſu ſatis de remediis dictum, nihil amplius ſubjungam, quamvis varia adhuc ſunt hinc inde ab Autoribus laudata, ut ſunt julapia & emulſiones. De Nitro adhuc ex Riverii obſervatione notandum quod ſal Prunellæ ad ℥j. in aqua communi ſolutum adeo efficax deprehenderit, ut ſumptum ſtatim ſitim quamvis intenſiſſimam ſedaverit. In regimine diætæ autem obſervandum eſt, ut, proſcriptis acribus, tantum cibis humectantibus & temperatis refrigerantibus talis æger utatur.

Thes. XXII.

Quamplurimos morbos hocce ſymptomate ſtipatos eſſe ſupra dictum eſt, quod revera dirum ſymptoma nominari meretur & cruciatus ægrorum mire auget. Imprimis autem occurrit in febribus varii generis, in quibus ægri valida & interdum immenſa corripiuntur ſiti (adeo ut de nulla re magis conquerantur,) nullo fere potus genere demulcenda. Cauſa hujus ſitis aliunde derivari nequit, quam à ſalivæ inprimis penuria & viſciditate, humido in totum ferme abſumpto â febrili calore aucto:

talis quoque glutinoſitas interdum tanta deprehenditur ut lingua faucibus adhæreat, imo tandem adeo eadem exſiccatur ut lingua præ ſiccitate dehiſcat, quam ob cauſam quidem copioſum potum affundunt ſed ſine levamine, quia aſſumpta potulenta tam cito humores abſumptos reſtaurare & ſic per conſequens viſciditatem tollere & humores tenaces incidere & fluxiles reddere nequeunt. In hac febrium ſiti prognoſis haud adeo periculoſa eſt, plerumque enim poſt morbi ſolutionem & hoc ſymptoma ceſſat, imo in hiſce caſibus funeſtum eſt ſignum ſitis defectus, juxta HIPPOCRATEM, qui dicit: *In cauſa ſitifera non ſitire, malum eſt ſignum.* Id quod ſæpiſſime in morbis malignis contingit. In Febribus ad hoc urgens ſymptoma pellendum proficua ſunt quæ humores viſcidos incidunt & corpus aliquo modo humectant, imo obſervatum ſæpius fuit, quod aqua frigida cum ſiti & ipſam febrim curaverit, conveniunt item acida, nitroſa & abſorbentia. Sufficiens autem potus præbeatur ſiticuloſis, ſed accommodatus morbo febrili, nam inde humores fluxiliores redditi eo melius circulantur & ſic curatio quoque eo citius peragitur: hinc illis non aſſentior, qui parcius ægris potum concedunt, eosque admodum rigoroſe huic vel illi potui alligant, *miſer enim eſt ægrotus*, ſunt verba LENTILII in Jatromn. Pag. 377. *cum dolorem patitur, miſer cum nil appetit, miſer cum pharmaca, ſaporis, odoris, coloris nonnunquam adverſi deglutire cogitur,*

miſer

miſer ubi ſitit, noctesve totas vigilat. Jam ſi denegatur, quem appetit, potus, miſeriarum quid amplius deeſſe queat, non video.

Thes. XXIII.

In nullo autem Morbo ſitis magis vexat, quam in moleſtiſſimo & truculentiſſimo omnium fere Morborum, Hydrope, quam vix non ſemper tanquam individuus ſequitur comes, in hoc enim tandem tanta deprehenditur, ut jure ſummo ſitis Clamoſa nominetur, de qua valet illud:

Quo plus ſunt potæ plus ſitiuntur aquæ

Tantaleus quoque hic affectus præ omnibus reliquis intolerabilis ferme ægris redditur, uti quotidie per experientiam conſtat. Cauſa autem diri hujus ſymptomatis hæc eſt, quia omne humidum ſuperioribus corporis partibus adimitur, quamvis continuo varia potus genera affundantur, quæ illico calore præternaturali aucto quaſi exſiccantur, viſcidiora redduntur & ſic corrupta partibus inferioribus communicantur non ſine tumoris notabili augmento; ſalſedinem autem humorum hoc in caſu etiam ſymbolum ſuum conferre nullus eſt qui dubitat, hæc enim eodem modo ſitim excitare potens

tens eſt, ac cibi ſaliti in ſtatu naturali. Prognoſin quod attinet, quemadmodum ſitis nunquam fere lætum præbet ſignum in affectibus hydropicis, ita magis aucta, majus etiam portendit periculum, maximum autem, quando ſitis Clamoſa accedit, tum enim absque ullo dubio partium internarum inflammatio ſubeſt, quæ proxima ad mortem via eſt, & ſic tandem illud ὄχημα τῆς τροφῆς funeſta metamorphoſi fit ὄχημα τοῦ θανάτου. Ne autem ejusmodi ægri absque ſolamine relinquantur, quia nil minus quam affuſa liquida intenſiſſimam ſitim lenire queant, alio remedii genere opus habent, quo ſaltem ad tempus diris ſuis cruciatibus allevientur, quod commodiſſimum exhibet jam ſæpius laudatum, Nitrum ſupra dicto modo propinatum, quodque mire ſitientes tales ſolatur.

Hæc ſunt, quæ de Siti in his Theſibus Inauguralibus conſcribere volui, plura quidem omiſſa & prætermiſſa, inprimis circa Sitim præternaturalem, plura etiam minus dextre elaborata eſſe ſcio, quod tamen, ut B. L. non ſiniſtre interpre-

pretetur, utque Tyroni ignoſcat iterum iterumque rogito. Deo autem Triuni, qui vires largitus eſt, ſit Laus, Honor & Gloria in ſempiterna Sæcula.

FINIS.